

gatis jam commissam impetratum, duplici ratione possit nullitatis argui. Primo ex vitio subreptionis: ut quia fuit impetratum tacita veritate de facta jam commissione; prout liquet ex d. c. *Causam quæ vertitur*. 19. juncta Glossa *Noviter. de Testib.* Secundo, ex vitio attentati ob litem pendente, juxta proximè dicta: et in hac posteriori casu requiritur citatio, una cum sufficienti instructione rei, non in priori. Nam ad vitium subreptionis incurrendum sufficit sola taciturnitas commissionis causæ judicibus delegatis factæ, ac in supplicatione non expresse post ejus notificationem. Imola in Clem. 2. § Glossæ. citatio. h. t. Abbas in c. *Causam quæ*. 19. num. 5. *de Testib.* et alii.

16. III. *Alienatio rerum litigiosarum est prohibita.* — Tertius litem pendente effectus est, quod rerum litigiosarum, actionumque alienatio, lite pendente sit prohibita: et si attentetur, vel ipso jure sit irrita et nulla, vel saltem per judicem irritanda. Quod ut melius intelligatur.

17. *Et cur?* — Quæritur III. An, et qualiter rerum litigiosarum alienatio lite pendente sit prohibita? Resp. I. Certum est, quod rerum litigiosarum alienatio lite pendente fieri non possit, sed sit prohibita: exceptis certis casibus in jure specialiter expressis. Patet hoc ex can. ult. caus. 11. q. 1. et cap. III. et IV. h. t. et l. II. et ult. c. *de Litigiosis*: in quo posteriori loco certæ pœnæ in alienantes rem litigiosam statuuntur, de quibus infra num. 47. et seqq. agetur. Ratio hujus prohibitionis est: ne alioquin per alienationem rei litigiosæ durior fiat conditio adversarii, contra illud jure naturali notum: « Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, » ac refertur l. *Non debet*. 75. ff. *de Reg. jur.*

18. *Exceptis tamen certis casibus; et quibus?* — Additur tamen in conclusione, « exceptis certis casibus in jure specialiter expressis. » Nam hinc excipiuntur nonnulli casus in quibus ob speciales rationes fieri potest alienatio rei litigiosæ, quæ referuntur in cit. l. ult. c. *de Litigiosis*. Nimirum, si ea fiat « dotis nomine, vel ante nuptias donationis: » tunc enim excusat causa necessitatis, dum forte non suppetit alia res, quæ in dotem detur: simulque, quia tunc cessat præsumptio cupiditatis divexandi adversarium. Item, si alienatio rei litigiosæ fiat nomine *transactionis*, dum quis transigit cum adversario de re quæ iam inter eos controversa; ut explicat Glossa ibid.

Transactionis: quia tunc excusat bonum pacis. Item, quando alienatio rei litigiosæ fit nomine « divisionis rerum hæreditariarum, vel per legatum, vel per fideicommissi causam; » prout loquitur textus in cit. l. ult. c. *de Litigiosis*. Quanquam ipse de facto sit intelligendus juxta Auth. *De Litigiosis*. collat. 8. ut notat Abbas in cap. III. n. 7. et 8. h. t. atque amplius declarant Interpretes juris civilis.

19. *Exceptis tamen certis casibus; et quibus?* — Alium adhuc casum addit Glossa in cit. cap. III. *de Litigiosis*. h. t. Siquidem in judiciis universalibus, ubi agitur de hæreditate, prætor permittit quandoque fieri alienationem, videlicet pro expensis funeris, pro solutione debitorum, et pro cibariis familie: talem enim alienationem, seu hæreditatis litigiosæ diminutionem tunc fieri, urget plerumque ipsa necessitas, l. *Divus Pius*. § 1. ff. *de Petition. hæredit.*

20. *Estque vel suo jure irrita.* — Resp. II. Quando extra casus permisos, ac proximè enumeratos, res litigiosa alienatur, tunc ejusmodi alienatio lite adhuc pendente facta, vel est ipso jure irrita et invalida, vel saltem per judicem irritanda. Ita in re communis. Et quidem, quod dicta alienatio sit ipso jure irrita, videtur tradi in can. ult. caus. 11. q. 1. juncta Glossa ibid. *de Quia res*. et in l. II. *de Litigiosis*. ibi: « Tanquam si nihil actum sit: » ac tenet Abbas in cap. III. n. 10. et 14. h. t. Bartolus in l. I. § *Quæro quid habeat*. ff. *de Litigiosis*. Engel h. t. n. 4. et plures alii. Adeo, ut nec firmitatem habeat, arg. c. *In nomine Domini*. 2. *de Testib.* Nec valeat, quod sequitur ex ea, vel ob ipsam, l. *Non dubium*. c. *de Legib.* et cap. ult. *de Rerum permutat.* cum similibus, et docet Hostiensis in Summa h. t. num. 3. vers. « Quidquid igitur. »

21. *Estque vel ipso jure irritanda.* — Quod autem ejusmodi alienatio rei litigiosæ primum sit irritanda per judicem, videtur docere Zoesius h. t. n. 3. dum inquit, quod si attentatum quid fuerit lite pendente, sive alienando, sive quocumque alio modo, illud sit revocandum. Et huic sententiæ etiam favet Pirhing h. t. n. 43. dum sub disjunctione ait, quod alienatio tunc facta vel sit ipso jure nulla, vel saltem irritanda. Accedit ratio, quia, si pars altera, in ejus præjudicium facta est alienatio rei litigiosæ, nihil contra eam opponat, censetur eam approbare, ratamque habere; prout in aliis similibus dici solet.

22. *Quæ differentia inter contractus ipso jure irritos, et irritandos?* — Fatendum est, quod

quod sit aliqua differentia inter præmissos modos loquendi. Nam si alienatio lite pendente facta, est ipso jure irrita, tunc hoc ipso, quod deceptus aut læsus, declarat se nolle eam valere, in judicio ac extra alienatio illa est nulla, et irrita ipso jure: sicque opus non est actione ad eam rescindendam, cum ab ipsa lege rescindatur; cit. l. *Quæ sub conditione*. § fin. ff. *de Conditionib.* institut. Secus est, ubi solum datur actio ad rescindendam factam lite pendente alienationem. Bartolus in l. *Et eleganter*. § *Dicendum est ergo*. ff. *de Dolo malo*, ita discurrens de contractibus contra juris prohibitionem celebratis.

§ II.

DE RE LITIGIOSA, ET REVOCATIONE ATTENTATORUM LITE PENDENTE, POENISQUE CONTRACTUS LITIGIOSI.

23. *Res litigiosa, quæ?* — Quæritur I. Quid sit, et qualiter res, vel actio, efficiatur litigiosa? Resp. I. « Res litigiosa dicitur ea, de cujus dominio causa inter petitem et possidentem movetur, aut per judicariam conventionem, aut per preces principi oblatas, et insinuatæ judici, ac per eum adversario interpellatoris cognitæ. » Ita habetur in Auth. *de Litigiosis*. § I, collat. 8, ubi ex professo agitur de rebus corporalibus, tum mobilibus, tum immobilibus: quanquam Glossa in can. ult. caus. 11, q. 1, majoris claritatis gratia, sic legat: « De cujus dominio, vel quasi dominio causa movetur. » Concordat textus in Clem. 2, h. t. ut supra n. 2, jam relatus.

24. *Ad hanc requiritur, ut moveatur questio super ejus dominio, vel quasi dominio.* — Dicitur, « de cujus dominio: » quod intellige sub addita clausula, « vel quasi dominio. » Quia, ut res efficiatur litigiosa, et alienari sit prohibita, sufficit, quod questio judiciaria moveatur, vel super ejus proprietate ac dominio, vel quasi dominio. Glossa in Auth. *Litigiosa*. *de Dominio*. c. *de Litigiosis*. Abbas in cap. III, n. 7, h. t. et alii.

25. *Et non tantum de aliquo onere illius.* — Secus dicendum, si tantum agatur de aliquo onere rei illius: ut puta, quia agitur hypothecaria, dum actor dicit rem sibi jure hypothecario obligatam esse. Tunc enim res ipsa non efficiatur litigiosa; ac proinde potest vendi, cum onere tamen suo. Textus est in Auth. *de Litigiosis*. § *Ab hoc autem*. collat. 8. Abbas cit. n. 7.

26. *Nec solummodo super ejus possessione.* — Insuper, si agatur solummodo de possessione rei, pariter res ipsa per hoc non efficiatur litigiosa. Glossa in c. *Si quis*. *de Litigiosa*. et Abbas ibid, n. 5, et Fagnanus n. 9, *de Confirmat. utili*, etc. Nam quia proprietas nihil habet commune cum possessione, l. *Naturaliter*. § 2, ff. *de Acquirend. possess.* merito mota dumtaxat controversia super possessione, non efficitur ipsa proprietas litigiosa, et ideo poterit tunc alienari proprietas rei sine vitio litigiosi; prout inferit Abbas in cit. c. *Si quis* n. 5. *de Confirmat. util.*

27. *Quamvis tunc ipsa possessio fiat litigiosa.* — Fatendum tamen, quod tunc ipsamet possessio, super qua movetur controversia, efficiatur litigiosa. Abbas loc. cit. Fagnanus, ubi supra. n. 10. allegans Cravettam consil. 279, n. 3, et Lancellotum *de Attentatis*, part. II, cap. IV, in præfat. n. 493, ubi refert, ita fuisse resolutum in Rota. Nam ubi principaliter agitur supra possessione, ea habet se ad instar proprietatis, ut innuit Glossa in Auth. *Litigiosa*. *de Dominio*. c. *de Litigiosis*. Tunc enim possessio est res illa, de qua controvertitur, ad quem ex litigantibus pertineat.

28. *Res efficitur litigiosa non solum per litem contestationem, sed jam antea.* — Resp. II. Res efficitur litigiosa non solum per litem contestationem, sed etiam per libelli oblationem, postquam tamen secuta est citatio rei, simulque huic insinuatio contentorum, in libello per judicem sufficienter facta fuit. Ita Glossa in cit. Auth. *de Litigiosis*. *de Movetur*. collat. 8. ac probat textus ibidem, juncta Clem. 2. h. t. et conditionibus ad inducendam litem pendente requisitis, de quibus jam dictum supra n. 2 et 7, ac seqq.

29. *Et quantum ad hoc, correctum est jus antiquum.* — Nec obstat, quod l. 1, § 2, ff. *de Litigiosis*. requiratur litem contestatio ad hoc, ut res fiat litigiosa. Resp. enim, hoc fuisse de jure antiquo: secus esse, hodie post dictam Auth. *de Litigiosis*. collat. 8, siquidem per hanc corrigitur jus antiquum quoad propositum. Glossa loc. cit. *de Movetur*. et Glossa cap. I. *de Litigiosis*, h. t. in 6. plura pro et contra allegans. Bartolus in l. *Lite*. n. 1, c. *de Litigiosis*. et Abbas in cap. III. n. 7, h. t.

30. *Non tamen simplex interdictio, ne vendatur, facit rem litigiosam.* — Cæterum simplex interdictio, sive sola denuntiatio adversarii, ne res vendatur, non facit rem litigiosam.

Textus est in l. I. ff. de Litigios. et l. I. c. eod.

31. *Ut actio tum personalis, tum realis, fiat litigiosa, requiritur litis contestatio.*—Resp. III. Nihilominus, ut actio tum personalis, tum etiam realis, fiat litigiosa, ita ut in alium cedi, aut vendi, vel donari non possit absque vitio litigiosi, requiritur litis contestatio. Ita Joan. Andreas in cap. ult. n. 12 h. t. et Abbas in c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, 3, n. 7, eodem, quamvis loquendo de actione reali, et mixta universali, oppositum teneat Bartolus in cit. l. *Lite*. c. de Litigios. et quidam alii, volentes idem esse tenendum de talibus actionibus, quod de re ipsa: nempe, quod fiant litigiosæ mox per conventionem judiciariam reo insinuatam, sicque jam ante litis contestationem. Ratio autem conclusionis est, quia, ut res, vel actio fiat litigiosa, requiritur contestatio litis spectato jure antiquo; ut patet ex l. I. § 2. ff. de Litigios. juncta l. II. c. eod. Atqui de jure novo (sive per cit. Auth. de Litigiosis. collat. 8, utpote loquentem solum de rebus, non vero de actionibus) nihil reperitur immutatum quoad actiones; ergo in is statur adhuc juri antiquo, l. *Præcipimus*. c. de Appellatione. Et consequenter, sicut antiquitus, ita et nunc requiritur litis contestatio, ut actiones fiant litigiosæ, et inducant vitium litigiosi, si alienentur: aliud enim est vitium, quod afficit rem: aliud, quod afficit actionem, prout loquitur Joan. Andreas cit. n. 12.

32. *Ante litem contestatam actio liquida potest libere cedi, vel vendi.*—Petes autem occasione præmissorum, utrum saltem ante litem inchoatam possit actio in alium cedi, sive alienari? Ad hoc breviter dicendum cum Glossa in cap. II §. *Sanctiones. de Alienat. judic. mutand. caus.* Engel h. t. n. 5, et aliis, quod tunc actio liquida possit in alium libere cedi, et vendi, ac quovis alio modo alienari, l. *Venditor actionis*. ff. de Hæredit. vel action. vendit. juncta l. ult. c. eod.

33. *Et quid de actione dubia, seu controversa?*—Actio dubia, sive controversa vero, donari quidem poterit ante litem contestatam, non autem vendi, l. *Per diversas*. et l. *Ab Anastasio*. c. *Mandati*. Quod si vero actio controversa vendatur pro pretio minori (prout communiter fieri solet) aut ex parte vendatur, et ex parte solum donetur (in quo casu donatio illa præsumitur esse simulata) tunc si emptor ille vincat, non in plus ipsi condemnabitur reus conventus, quam is pro

actione illa expendit: vendens autem actione privatur. Idque merito statutum fuit, ne alioquin, si quid lucri acquirere posset emptor actionis, facile alienæ lites redimerentur, quærendo prædam ex aliorum jurgiis, et forsitan lites dudum sopitæ resuscitarentur. Plura de hoc supra lib. I, tit. XXXVII. De *Postulando*. n. 46 et seqq. et tit. XLII. De *Alienatione judicii mutandi causa*, n. 15.

34. *Attentata lite pendente dicuntur laborare vitio litigiosi.*—Quæritur II. Qualiter attentata lite pendente sint revocanda? Ubi sciendum, quod attentata lite pendente, sive actus circa rem litigiosam in præjudicium partis adversæ quidpiam innovantes, dicuntur laborare vitio litigiosi: de quo fit mentio in c. *Ecclesia*. 3, h. t. et amplius explicat Glossa ibid. §. *Litigiosi*. Quo prænotato

35. *Quidquid innovatur lite pendente, debet revocari in pristinum statum.*—Resp. I. Quidquid innovatur lite pendente, ante omnia debet revocari in statum pristinum. Ita communis; et patet ex c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. 4, h. t. et cap. I, de *Sequestrat. possess.* Quod enim contra leges fit, per leges dissolvi meretur, can. *Vides*. dist. 10. Idque eo magis, quia hujusmodi innovata firmitatem non habent, c. *In nomine Domini. de Testib.* junctis dictis supra n. 20.

36. *Adeo, ut parte opponente impediatur processus ad ulteriora.*—Et hoc adeo verum est, antequam innovata revocentur, parte opponente impediatur processus ad ulteriora. Hostiensis in Summa h. t. n. 3. Engel n. 6 et alii. Neque valebit, quod sequitur ex talibus innovatis, vel ob illa, l. *Non dubium*, § *Sed et si*. c. de *Legib.* et in simili dicitur in c. *Qualiter*. 17, de *Election.* et cap. ult. de *Rerum permutat.* Atqui insuper is, qui lite pendente aliquid innovat, in expensis suo adversario condemnandus est, arg. cap. II, de *Dolo et contum.* et cap. I. § fin. de *Sequestrat. possess.* Unde ulterius

37. *Si res litigiosa alienetur, oportet eam restitui.*—Resp. II. Quando res litigiosa alienatur, oportet eam restitui in statum pristinum: et si res ipsa restitui amplius non possit debet in ejus locum ac jus subrogari alia æquivalens. Textus est in c. 3, juncta Glossa §. *Litigiosi*. et Abbate ibid. n. 1 et 5, h. t. eod. et doctoribus communiter. Ratio est: quia alienatio rei litigiosæ vel est ipso jure nulla, vel saltem irritanda, ut dictum n. 20 et 21, et consequenter restituenda in statum pristinum, ne deterior per ejus alie-

nationem evadat conditio adversarii. Accedit ratio in c. 3, h. t. allata: quia, nisi res litigiosa post alienationem restitueretur, vel saltem alia æquivalens in ejusdem locum ac jus subrogaretur, in vanum actor laboraret; quia etiamsi vinceret in judicio, non haberet, quod evinceret, atque obtineret. Hoc autem est absurdum, quia sic judicium de facto esset frustratorium, et frustra via rei petitæ adjudicatio; ergo.

38. *Aut, si restitui non possit, alia æquivalens in ejus locum ac jus subrogari.*—Additur notanter in conclusione, « in ejus locum ac jus subrogari, » etc. Quia, quando ipsamet res litigiosa alienata amplius restitui non potest, non solum in ejus locum substitui debet alia æquivalens, sed etiam in jus ipsius. Siquidem res, quæ in locum succedit alterius, eodem jure censetur cum ea, arg. c. *Cum tu*. 5. § fin. de *Usuris*, et amplius probat Glossa in cap. III, §. *Successerunt*. h. t. Nam subrogatum sapit naturam ejus, in ejus locum subrogatur. Everardus in *Locis Legalibus*. loc. *A vi subrogationis*. Barbosa *Axiomatum* lib. axiomat. 213, n. 1, latissime illud probans.

39. *Quæ postea alienari, vel oppignorari non potest.*—Infertur proinde, quod sicut ipsamet res litigiosa non potest alienari, nec locari saltem ad longum tempus, neque oppignorari lite pendente, ne deterior seu durior fiat conditio actoris; prout uberius ostendit Abbas in cit. cap. III, n. 9, h. t. ita et altera res, quæ in ejus locum subrogatur, alienari, locari vel oppignorari non valeat. Abbas in cap. IV, n. 2, eod. Etenim subrogatum sapit naturam ejus, in ejus locum subrogatur; sicque assumit ejus conditiones, juxta proxime dicta.

40. *Debetque esse libera ab onere, sicut erat res litigiosa indebite alienata.*—Infertur ulterius, quod si res litigiosa, quæ indebite alienabatur, fuerat libera, v. g. ab onere pignoris; etiam res in ejus locum subroganda, libera esse debeat a tali onere. Idque desumitur ex cap. IV, h. t. ubi proin pontifex possessiones illas, quæ in locum litigiosæ rei alienatæ subrogabantur, et cuiusdam erant pignori obligatæ, antea ab onere illo liberari fecit. Et merito, tum quia subrogatum debet sapere naturam ejus, in ejus locum subrogatur, tum quia obligatus ad tradendam rem aliquam, debet eam tradere liberam et expeditam, sicque liberatam ab onere pignoris, arg. l. I et II, ff. de *Actionib. empt.* Abbas in cit. cap. IV, n. 4, h. t.

41. *Insuper potest actor suspenso petitorio, transire ad vitium litigiosi.*—Resp. III. Ut attentata lite pendente melius in irritum revocentur, hinc instituto petitorio super rei vindicatione, potest actor hoc suspenso transire ad vitium litigiosi, si quid innovatum fuerit. Desumitur istud ex cap. III, h. t. ubi in tali casu sub disjunctione conceditur, vel de vitio litigiosi, vel de proprietate experiri: et tradit Abbas ibid. n. 4. Sicut enim pendente judicio petitorio potest actor eo suspenso transire ad possessorium, c. *Pastoralis*. 5, « de causa possess. et propriet. » ita pendente petitorio potest transire ad vitium litigiosi. Et hoc quidem fortius est asserendum, ob odium alienantis rem contra præceptum legis.

42. *Quomodo lite pendente nihil sit innovandum circa beneficia.*—Quæritur III. Quomodo nihil sit innovandum lite pendente circa beneficia ecclesiastica? Resp. I. Si duo electi in discordia super electione de se celebrata litigent, non potest aliam electionem procedi: quamvis aliquis ipsorum moriatur, vel juri sui renuntiet, aut a prosecutione suæ causæ quoquo modo excludatur quando lis super electione superstitis electi pendet: alias electio lite adhuc pendente celebrata, ipso jure invalida existit. Ita habetur decisum in cap. I, h. t. in 6. Accedit ratio: quia alienatio rei litigiosæ ac spectato jure civili est nulla, l. II, et l. ult. C. de *Litigios.* ergo hoc ipsum merito sacri canones extendendum censuerunt ad beneficia ecclesiastica.

43. *Quomodo lite pendente nihil sit innovandum circa beneficia.*—Concordat cap. II, h. t. in 6, ubi pariter habetur decisum, quod si beneficiarius contra quem super beneficio ecclesiastico, quod possidet, per alium litigatur forsitan moriatur, vel sponte juri suo renuntiet, et contra superstitem lis nondum finita fuerit; non possit lite taliter pendente beneficium illud alteri conferri, nec ad illud quisquam elegi, vel etiam præsentari; et si secus actum fuerit, illud eo ipso irritam habetur.

44. *Differentia inter casum cap. I, et cap. II. h. t. in 6, relatum.*—Est tamen inter hunc, et præcedentem casum, nonnulla differentia: nam in priori, qui refertur cap. I, h. t. in 6, sermo est de electione, ac beneficio litigioso, quod neuter litigantium possidet: at vero in posteriori casu, qui refertur cap. II, eod. in 6, alter litigantium jam fuerat beneficium adeptus, illudque possidebat. Glossa cit. cap.

n. y. *Possident*. Alioquin certe posterius capitulum superflueret, nisi adesset talis diversitas casus.

45. *Lite pendente inter duos presentatos ad beneficium, nequit patronus ecclesiasticus variare, seu alium presentare. Presentatio patroni ecclesiastici habet vim electionis.* — Resp. II. Doctrina proxime allata etiam procedit in presentatione ad beneficium ecclesiasticum: adeo, ut lite inter duos presentatos pendente (etiam uno eorum mortuo, vel cedente) patrono non permittatur absque vitio attentati alium presentare, donec lis cum superseite, finita fuerit. Ita Joan. Andreas in cap. i, n. 1, h. t. in 6, et Franchis ibid. Aloys. Riccius part. I, in *Praxi jurispatronatus*. resolut. 170 n. 1 asserens hanc esse communiorum doctoribus sententiam, quam etiam tenuit Rota dec. 442 n. 6, part. I, divers. et in una Zamorens. *Beneficium de Morales*. 30 maii 1586, eorum Orano Covarruvias *Pract. Question. c. xxxvi*, n. 7, vers. tertio quandoque. Robertus Lancellottus, tom. V. *Tractatum*. tract. *de Attentatis*, part. II, n. 57, et seqq. hanc appellans communem opinionem. Et quidem loquendo de duobus presentatis a patronis ecclesiasticis, res caret difficultate: nam presentatio ab his facta, habet vim electionis: unde etiam ipsi amplius variare non possunt, c. *Cum autem*. 24, de *Jurepatronat.* et notat Abbas ibid. n. 3, allegans Innocentium, et Lancellottus cit. n. 557. Ac proinde non mirum, quod dispositio cit. cap. i, h. t. in 6, expresse loquens de electione duorum lite pendente, pariter procedat in presentatione duorum per diversos patronos ecclesiasticos in discordia peracta liteque desuper pendente.

46. *Nec etiam patronus laicus potest tali lite pendente variare: haud obstante, quod alioquin intra quadrimestre variare possit.* — Major difficultas est de patrono laico: utpote cui caeteroquin concessum est posse variare intra quadrimestre, non quidem totaliter a priori presentato recedendo, sed alium cumulative presentando cit. c. *Cum autem*. 24, et c. *Pastoralis*. 29, de *Jurepatronat.* Difficultas, inquam, est, utrum intra quadrimestre tempus possit patronus laicus taliter variare, non litem pendente inter duos prius presentatos? Sed verius est, quod patronus laicus lite pendente variare non possit, sicque etiam respectu ipsius procedat dispositio cit. cap. i, h. t. in 6. Ita Lancellottus loc. cit. n. 560, et seqq. referens contrarias aliorum opiniones, et fusis-

sime hanc materiam declarans. Covarruvias cit. n. 7; Riccius, de *Resolut.* 170, n. 4, allegans alios, et a Rota ita decisum referens in dec. 10, de *Jurepatronat.* Ratio est, quia, licet caeteroquin patronus laicus variare possit, tamen in dato casu talis variatio eidem prohibita videtur propter litem pendente, tum quia generaliter lite pendente nihil est innovandum, juxta rubric. h. t.; tum quia dicta variatio tendere posset in praedictum ecclesiarum, eo quod in harum damnum lites prorogari contingeret per novos adversarios, qui malitiose interdum prioribus subrogantur.

47. *Quis conferre possit beneficium si duobus super eo sibi collato litigantibus, mori contingat unum, vel utrumque eorum?* — Resp. III. Si duobus super beneficio sibi collato litigantibus, mori contingat utrumque, vel alterutrum eorum: tum observanda erit dispositio Clement. I, h. t. Et si quidem uterque moriatur tunc vel uterque moritur in Romana curia, vel solus possidens, aut neutro possidente unus tantum illorum in curia Romana moritur, altero alibi decedente: et sic ad Romanum pontificem spectat collatio illius beneficii. In casibus autem conversis pertinet ejus collatio ad ordinarium collatorem, dummodo aliquis tertius in dicto beneficio jus non habeat.

48. *Quis conferre possit beneficium, si duobus super eo sibi collato litigantibus, mori contingat unum vel utrumque eorum?* — Quod si vero lite pendente alter tantummodo decedat, et superstes nihilominus litem prosequatur; tunc (nisi ad superstitem beneficium illud pertinere dignoscatur) ex futuro patebit, eventu, ad quem collatio spectet. Nam quando declaratur beneficium pertinuisse ad defunctum in curia Romana, pertinebit collatio ad Papam: si autem pronuntietur illud pertinuisse ad defectum extra curiam, spectabit collatio ad ordinarium: quod si ad neutrum ipsorum beneficium spectasse constiterit, pariter ad ordinarium collatio pertinebit. Salva tamen in praemissis omnibus plenitudine potestatis pontificiae. Ita habetur expressum in cit. Clem. I, h. t. juncta Glossa, et doctoribus ibidem (ADNOTATIO XLVI).

49. *Contractus litigiosus, quis?* — Queritur IV. Quae sint poenae contractus litigiosi? Ubi praenotandum, quod per « Contractum litigiosum » intelligatur ille, qui circa rem litigiosam celebratur, in praedictum partis adversae lite pendente quidpiam innovando; ut

puta, ipsam vendendo donando, aut hujusmodi. Contractus quippe tales dicuntur laborare vitio litigiosi: ut est textus in c. *Ecclisia*, 3, h. t. et amplius explicat Glossa ibid. y. *Litigiosi*. et Abbas n. 9, et alii. Quo praenotato, et distinguendo inter eos, qui scienter rem litigiosam alienant, vel recipiunt, aut ignoranter id faciunt;

50. *Quando ambo contrahentes ignorant rem esse litigiosam, contractus quidem est nullus, sed nulla poena incurritur.* — Resp. I. Quando ambo contrahentes ignorant rem esse litigiosam, contractus super re illa est invalidus, juxta dicta n. 20, poenae tamen non incurritur. Ita communis. Siquidem in tali casu excusat contrahentes a poenis incurrendis probabilis ignorantia; ut c. *Cognoscentes*. 2, de *Constitut.* Ubi dicitur: « Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit: » junctis concordantiis ibidem per Glossam, y. *Culpa caret*, relatis.

51. *Difficile tamen est, in alienante reperiri ignorantiam rei litigiosae.* — Solum nota, quod in venditore, vel alio alienante, difficile sit reperiri talem ignorantiam rei litigiosae, et hoc propter denuntiationem antea ipsi faciendam; nisi forsitan is successerit alteri, et probabiliter ignoraverit, ejusmodi denuntiationem illi factam fuisse. Unde in hoc casu impeditur quidem contractus, sed aliae poenae cessant. Abbas in cap. III, n. 40, h. t.

52. *Quae sint poenae, quando uterque contrahentium scivit rem esse litigiosam?* — Resp. II. Quando uterque contrahentium scivit rem esse litigiosam, tunc imprimis contractus sive alienatio ejusdem non tenet ac restituta re illa litigiosa procedit actio, ut antea, juxta haec dicta. Deinde vero scienter emens rem litigiosam, amittit pretium ejus; vendens autem eam scienter, tantumdem dabit de suo: atque utraque haec quantitas fisco applicabitur. Ita statutum habetur in l. ult. c. *de Litigiosis*. ac notat Glossa in cap. III, y. *Litigiosi*. h. t.; Abbas cit. n. 40; Pirhing, h. t. n. 14, et Sannig eod. cap. II, n. 4.

53. *Et quid, si solus emptor ignoravit, rem esse litigiosam?* — Resp. III. Quando autem solus emptor nescivit rem esse litigiosam et sic eam emit ignorans quod sit litigiosa tunc, is pretium ejus repetit, atque ultra istud lucraretur tertiam partem aestimationis rei a venditore sibi dandam. Textus est in cit. l. ult. c. *de Litigiosis*. Et merito bonae fidei emptor pretium repetit, ne absque sua culpa damnum sustinere cogatur. Lucratur vero

tertiam partem pretii, qui hanc jura ipsi concedunt, eo quod a doloso venditore fuerit circumventus, dum ipsi non manifestavit rem esse litigiosam. Etenim scienter vendens rem litigiosam tantum de suo debet dare quantum est pretium rei venditae: atque illud fisco applicatur, ut dictum n. praeced. Si autem emptorem circumvenit, una tertia conceditur emptori ob illatam ipsi injuriam; et solum caeterae duae tertiae applicantur fisco, per textum in cit. l. ult. c. *de Litigiosis*.

54. *Dicta scienter, vel ignoranter vendente aut emente rem litigiosam, procedunt in quolibet contractu.* — Porro quae haec dicta sunt de scienter vel ignoranter vendente, aut emente rem litigiosam; eadem similiter procedunt in donatione, et quolibet alio contractu circa rem litigiosam scienter, aut ignoranter celebrato: nam scienter alienans, vel rem alienatam recipiens, punitur ut supra: teneturque statutam poenam de suo refundere. Textus est in cit. l. ult. c. *de Litigiosis*. et concordat Glossa, et Abbas loc. cit. Et haec procedunt demptis casibus illis, in quibus alienatio rei litigiosae conceditur, juxta n. 18 et 19.

55. *Rem litigiosam scienter sacris dedicans punitur in duplum.* — Solum adde, quod si quis rem litigiosam scienter sacris dedicaverit, seu consecraverit, in duplum adversario applicandum puniatur; per textum in l. ult. ff. *de Litigiosis*. et notat Abbas loc. cit. n. 10, post Hostiensem, et Zoesius tit. *de Litigiosis*. ff. n. 6. Idque fit propter contumeliam in Deum, quem talis falsa religionis specie colit, in detrimentum adversarii.

TITULUS XVII.

De Sequestratione Possessionum, et Fructuum.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Cum titulo praecedenti dictum fuerit, quod lite pendente nihil sit innovandum; et nihilominus non raro, dum lis pendet, petatur sequestratio rei litigiosae, sive fructuum ejus: hinc merito subjungitur praesens rubrica ad declarandum ex professo, an, et quando ejusmodi sequestratio locum habeat. Unde sit